

male, animo alterum obligandi, aut movendi ad recipiendū dandum spirituale, sicque contractum, aut permutationem ex sua parte facere intendit; alter vero id vel non advertit, vel advertens non consentit, & propterea non acceptat, vel spirituale recipere non dat, aut dat quidem, non tamen intuitu illius temporalis. Ita ex parte unius duntaxat Simonis Magi, non item S. Petri fuit Simonia commissa; dum ille huic obtulit quidem pecuniam pro dono Spiritus. S. Petrus vero non acceptavit, sed reculavit dicens, pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti, pecunia possideri. Hinc in Definitione Simonia non dicitur esse contractus, seu emptio vel venditio, seu contractus, sed studiosa voluntas emendi vel vendendi rem spiritualem pro temporali.

71 At verò gravis, & quoad praxin maximi momenti, simulque periculosa difficultas est, an etiam, quando, & quomodo pactum saltem implicitum intercedat, consequenter Simonia committatur, casu quo temporale pro spirituali, aut vicissim offertur, datur, aut praestatur non ut Pretium, sed ut motivum, intentione & animo, vel etiam sub spe consequendi spirituale. Et quia de his duplex distincta difficultas est, duo distincta ad eam solvendam ponemus quaestiones.

72 Quaeritur igitur II. An? & quomodo pactum seu contractus saltem implicitus interveniat? & consequenter committatur Simonia, casu quo temporale pro spirituali, aut e contra offertur, datur, praestatur, aut praestari proponitur, non ut pretium, sed ut motivum, & sine, ut mediante tali temporali alter moveatur ad dandum spirituale, vel e contra. Et quoniam quaestio haec summe practica, & valde frequenter occurrens est, idè pro majori ejusdem resolutionis intelligentia casus aliquos practicos praemittemus.

73 Cajus Clericus venit in notitiam, vacare Parochiam, Canonicatum, vel aliud Beneficium, quod ipse libenter haberet. Verùm, quia videt, adeste jam, vel certè brevi venturos etiam alios, & forsitan digniores, aut potentiores se, illicò se confert ad Collatorem, seu Praesentatorem, eique se commendat, & pro collatione Beneficii, aut praesentatione ad illud supplicat, simul etiam per se, vel alium offert eidem aliquid honorarium (uti vocant) v. g. aliquam certam quantitatem pecuniae vel pretiosam picturam, vel artificiosam statuam, vel aureum aliquod, aut argenteum vas, vel quid aliud absque ullo quidem pacto externo, conditione, aut externè imposita obligatione, ut pro tali temporali eidem conferatur Beneficium; hac tamen internà intentione, sine, & animo, ut intuitu illius Collatorum, vel Patronum moveat, & obliget, ad Beneficium sibi praesens conferendum.

74 Titius in simili vel alià vacatura Beneficii, scit hunc vel illum Consiliarium, Ministrum, aut alium, apud Collatorem, aut Praesentatorem omnia, aut certè tantum valere, ut mediante illius recommendatione, aut intercessione Beneficium obtinere valeat: Hinc illi per se, vel alium aliquid temporale offert sine ullo pacto expresso, aut obligatione, hac tamen intentione & animo, ut eum moveat, & obliget, quatenus ipsum in ordine ad Beneficium consequendum recommendare, suaque recommendatione, & intercessione Beneficium impetrare dignetur, quam intercessionem ut faciat, etiam rogat ipsum.

75 Sempronius videns, quòd ob defectum suarum qualitatum, vel meritum, vel ob copiam Cleri,

ac Competentium tam brevi aut facili Beneficium aliquod obtinere non valeat, resolvit se ad tempus aliquod gratis, vel pro minori ac competenti salario agere Capellanum apud Episcopum, Praepositum, Decanum, vel alium Collatorem, Praesentatorem, agere Instruotorem, Moderatorem Inventuram apud Praesentatorem, aut talem, qui sua potentia, & intercessione Beneficium impetrare facile potest, idque facit quidem absque ullo pacto expresso, conditione, aut obligatione imposita, occultà tamen internà intentione & animo, ut talem moveat & obliget, quatenus sibi cum tempore Beneficium vacans conferat, vel ad illud praesentet, aut sua intercessione juvet.

Similiter Episcopus habens jus conferendi, Canonici habens Turnum aut vocem in Capitulo, aut Patronus habens jus praesentandi ad Beneficium vacans, bene videt, vel saltem sibi imaginatur, quòd si huic, vel illi Beneficium conferat, aut ad illud praesentet, recepturus sit ab illo, ejusve parentibus; Consanguineis insigne honorarium, aut obtenturus pro se, vel suo Officium, promotionem, aut aliud utile obsequium temporale: Hinc illi praesens Beneficium confert absque ullo pacto externo, vel conditione aut obligatione imposita, hac tamen intentione & animo, ut illum, aut consanguineos illius moveat, & obliget, ad hujusmodi honorarium, vel aliud obsequium temporale praestandum. His praemissis, ad quaestum num. 72. positum.

Resp. I. In singulis specificatis, & in aliis similibus casibus, ac universaliter quotiescunque offertur, datur, aut praestatur, quid temporale absque omni quidem pacto expresso, & sine ulla conditione, & obligatione externè apposta, intentione tamen internà, & animo, seu ex hoc sine & motivo, ut acquirat spirituale, vel ut alium moveat, alliciat, inducat, & saltem tacitè obliget, quatenus sibi spirituale, v. g. Beneficium conferat, vel ad illud praesentet, aut sua intercessione juvet, implicitum, & ad Simoniam sufficiens intervenit pactum, perfectaque committitur Simonia. Haec Conclusio, quamvis olim plures haberet Adversarios, moderno tamen tempore ob Decretum Innocentii XI. statim allegandum est certa, adè, ut post memoratum Decretum de veritate Conclusionis dubitare non amplius liceat. Eamque expressè tenet Cardenas in Crisi Theologica Dissert. 27. super damnata Propositione 45. & 46.

Probatur igitur Conclusio I. & quidem efficaciter ac fortissimè ex Decreto Innocentii XI. edito 2. Martii 1679. utpote in quo doctrinam seu opinionem contrariam damnavit tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam, simulque in virtute obedientiae, & sub interminatione Divini Judicii prohibuit, ne ullus fidelium, cujusvisque status aut conditionis sit, in praxin deducat memoratam opinionem aut doctrinam, quae in Propositione 45. dicti Decreti sic sonat: Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale. Cum itaque haec Propositio, doctrina, & opinio sit falsa, scandalosa, & perniciosa, necessariò erit vera doctrina eidem contraria, quam ponit nostra conclusio; eum duo contradictoria nequeunt esse simul falsa. Et quamvis stante allegato Decreto Conclusio ulteriori probatione non indigere, praesertim cum Pontifex etiam in Decretis Morum sit infallibilis; nihilominus ut veritas illius & error antiquus magis appareat, praxisque contraria magis eliminetur.

Probatur II. Ex Jure c. Esti quaestiones. 18. h. r. ubi Episcopus Strigoniensis dubicans, an non saltem indirectè

directè sit reus Simoniae, ex eo, quòd illius Frater obtulerit equum Cardinali pallium afferenti, Papam consulit, causam sui scrupuli inter alia allegans illud Scripturae, Beatus, qui excucit manus suas ab omni munere, & in responsis tunc, illum à Simonia esse immunem: ad allegatum verò textum respondit Papa illis verbis: Quod autem scriptum est (beatus, qui excucit manus suas ab omni munere) de illis donis dictum est, quae accipientis animam allicere, & pervertere solent; quoniam si ipsa persona Electi offerat Ordinatori, aut Consecratori suo electivarium aut de vino, aut de aliis hujusmodi, quae modici pretii fuerint, & quae voluntatem recipientis inclinarent, & movere non debeant; non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem: Ergo à seculo contrario, si talia munera offerantur, quae accipientis animum movere possunt, & allicere ad dandum spirituale, Simoniacum est; consequenter qui dat temporale hac intentione, sine, & animo, ut accipientem moveat ad recipiendū dandum spirituale, est expressè id non pacifcatur, Simoniam committit.

81 Dices, ex hoc textu, & explicatione illius sequi, silem illum à Simonia excusari, qui esculenta & poculenta, vel alia modici pretii offert animo & intentione movendi accipientem ad dandum spirituale; quod est contra dicta supra numer. 11. ergo. Resp. Negando Antecedens; licet enim Ecclesia pia Mater benignè interpretetur, modica gratis dari & accipi, consequenter Simoniam in illis non praesumat, tamen coram Deo Simoniae, & poenarum ejus reus est etiam ille, qui esculenta & poculenta, vel quid aliud modicum dat, si revera non gratis, sed eà intentione & animo dat, ut alterum ad recipiendū dandum moveat, & alliciat: cum juxta dicta in Simonia non detur levitas materiae; imò eò gravius inferatur injuria rei spirituali, majusque committatur Simonia peccatum, quò minoris pretii est res temporalis, intuitu cujus datur res spiritualis.

82 Probatur III. Manifestè ex c. Tua nos. 34. h. r. ubi postquam Papa consultus respondit, esse Simoniam, si quis Ecclesiae offerat sua bona cum pacto & conditione, ut in Canonico recipiatur; ab eadem verò immunes esse, si hujusmodi bona purè ac sine pacto, vel conditione quavis offerant, rogans tamen humiliter, ut in Canonico recipiatur, subjungit, talem sine ullo expresso pacto & conditione bona sua offerentem, & precise humiliter rogantem pro Canonatu, nihilominus Simoniae esse reum, si eà intentione internà, sine, & animo id fiat, ut recipiatur in Canonico, seu ut acquirat spirituale; ut patet ex textu sic sonante: Si tamen is, qui talem donationem facit, eà intentione ducatur, ut per temporalia bona, quae offerit, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admittant; sine dubio tam ille, quam isti apud distributum iudicem, (quid est Scrutator cordium, & Cognitionis secretorum) culpabiles judicantur, utique ob Simoniam, utpote de qua ibi agitur, & praeter quam alia culpa in hoc intervenire non cognoscitur. Haec Pontificis responsio veritatem nostrae Conclusionis, & falsitatem doctrinae contrariae tam clarè manifestat, ut sanè mirari liceat, Doctores tam insignes prius in hoc puncto nihilominus fuisse hallucinatos.

Probatur IV. Ratione, quando temporale offertur, datur, aut praestatur eo modo, qui in prudenti, & communi hominum aestimatione saltem tacitè, virtualiter, & aequivalenter est emptio, ac continet tacitum pactum aliquod, seu contractum onerosum, certa committitur Simonia, juxta unanimesse

mem Doctorum, & clara Jura manifestè innuuntia, ad Simoniam non requiri expressum, sed sufficere tacitum, & implicitum pactum, seu id, quod virtualiter, & aequivalenter est pactum: Sed qui dat, vel praestatur temporale eo animo & sine, ut accipientem moveat ad recipiendū dandum spirituale, consequenter eo motivo & intentione, ut mediante tali re temporali acquirat spirituale, dat modò, qui virtualiter ac aequivalenter est emptio, continetque in se pactum, seu contractum tacitum ac implicitum; ergo. Minor probatur à simili; quando quis absque ullo pacto aut conditione expressa, & sine obligatione, vel onere externè imposito, hoc tamen animo, sine, & intentione offert Judici pecunias, vel aliud munus temporale, ut moveat illum ad ferendam pro se injustam sententiam, seu ut mediante tali pecunia, vel munere eam pro se acquirat, & Judex intuitu illius pecuniae motus sententiam injuste pro tali pronunciet, reverà in communi aestimatione hominum virtualiter, ac aequivalenter censetur, & dicitur emisse, Judex verò vendidisse sententiam, simulque intervenit inter illos tacitum saltem, vel implicitum pactum seu contractus; eum à parte rei in prudenti hominum aestimatione idem sit justitiam vendere, ac pecunia Judicem corrumpi, illaque mediante ad committendam injustitiam, ferendamque injustam sententiam moveri; ergo etiam qui sine ullo pacto expresso, & absque conditione vel obligatione externè apposta, eo tamen animo & sine dat temporale, ut moveat accipientem ad dandum spirituale, seu ut mediante tali temporali acquirat spirituale, virtualiter, & aequivalenter dicitur contrahere spirituale, tacitoque, & implicito pacto, aut contractu illud acquirere.

84 Confirmatur: qui offert, dat, aut praestatur temporale pro spirituali, aut e contra, sine omni quidem pacto expresso, & sine conditione aut obligatione externè apposta, eo tamen animo, sine & intentione, ut alterum moveat, & inducat ad recipiendū dandum spirituale, seu ut mediante tali temporali acquirat ab illo spirituale, non dat omnino gratis & liberaliter, sed onus & obligationem non quidem expressè, sed tacitè & implicitè imponit, videlicet, ut accipientis temporale, recipere det spirituale, vel temporale non accipiat, hoc ipso, quòd alio sine temporale alteri non det, quam ut ab ipso spirituale recipiat, non daturus, si sciret, quòd ab illo recipere non esse accepturus, indeque tacitè velit, ut alter vel det vicissim, aut si dare nolit, oblatum non accipiat, vel certè restituat; Prout colligere est ex illo, quòd, si suo munere spirituale non acquirat, conqueratur & murmuret; sicut in simili conqueratur, qui judici monerè offert, & sententiam pro se non obtinet. Tali autem modo si datur temporale pro spirituali, tacitum & implicitum pactum intervenire, consequenter Simoniam committi, clarum est.

85 Confirmatur ulterius, si dare temporale pro spirituali non ut pretium, sed tanquam motivum obtinendi, mediante illo aliquid spirituale, vitio careret Simoniae, licet eluderetur omnis Simonia, omnesque Canones Simoniam tam zelose, tantisque sub poenis prohibentes, sicut eludebantur ante Decretum Innocentii XI. dum Simoniae agentes, omittis terminis expressi alicujus pacti, conditionis, aut obligationis apostolice, dicebant, & imposterum dicturi essent, se temporale non dare, aut praestitisse ut pretium, aut per modum contractus, sed precise ut motivum consequendi spirituale, seu ut alterum inducerent ad recipiendū dandum spirituale.

Inferitur proin in omnibus a num. 73. usque ad num. 78. specificatis, & aliis similibus casibus revera peccata committi *Simonia*.

86 Si querat, qualis autem sit *Simonia*, offerre, prestare, aut dare temporale pro spirituali, aut e contra, non expresso pacto, conditione, aut obligatione apposita, nec ut verum pretium, sed precise ut *motivum* consequendi spirituale, seu eo animo & intentione, ut accipiens moveatur, & inducatur ad dandum spirituale? Resp. Esse *Simoniam Juris Divini*. Et quidem, si quis hoc facere interne tantum proponit, erit *Simonia Interna*, grave quidem peccatum coram Deo, nullas tamen juris penas inducens, juxta dicta n. 15. & dicenda infra §. XI. de penis *Simoniae*. Si propositum suum ipso actu externo etiam exequitur, erit *Simonia Conventionalis*, quae vel ex parte unius, vel ex parte utriusque committi potest, juxta dicta num. 19. & nu. 16. Quod si dein ex utraque parte compleatur, transit in *Realem*, penas Juris secum trahens, juxta dicta num. 20. & dicenda infra §. XI.

Porto etiam haec dicta a num. 78. huc usque, hodie certa sunt, & extra controversiam apud Doctores; sed gravis modo, & satis delicata ac periculosa est Quaeestio sequens.

87 Queritur III. An etiam, & quando tacitum, seu implicitum interveniat pactum, consequenter vera committatur *Simonia*, si absque omni pacto expresso offerretur, datur, aut praestatur temporale pro spirituali, non tanquam *motivum*, sed tantum sub *Spe* consequendi spirituale? Vel si datur ad captandam duntaxat benevolentiam, & conciliandam amicitiam, ut postea sui memor ex benignitate conferat Beneficium, aut aliam rem spiritualem, vel e contra. Periculosa est, ut jam dictum, & difficillime solutio est haec Quaeestio. Ratio difficultatis est, quia ex una parte, Communissima DD. habet, dare temporale sub *Spe* consequendi spirituale, non esse *Simoniam*, juxta dicenda infra. Ex altera vero parte in contrarium urget, quod dare temporale sub *Spe* obtinendi spirituale, vel e contra, idem videatur esse, ac dare temporale ex *motivo*, seu tanquam *motivum* consequendi spirituale; cum, qui dat temporale *spe*, mediante illo temporali, acquirendi spirituale, verè etiam censetur dare ex *motivo* consequendi spirituale; nam etiam dans temporale *spe* consequendi spirituale, si interrogaretur; quare das, ut praestas huic istud temporale, utique responderet; quia per hoc spero consequi ab eo spirituale v. g. Beneficium; sic autem respondendo manifestè indicarem, *motivum* dandi esse consecutionem Beneficii; atqui dare temporale ut *motivum* consequendi spirituale, est *Simonia* cum juxta dicta a num. 78. ergo etiam dare temporale sub *spe* consequendi spirituale, erit *Simonia*.

88 Pariformiter, dare aliquid ad captandam alterius benevolentiam, ut postea ex benignitate conferat Beneficium, idem à parte videtur esse, ac dare temporale tanquam *motivum* consequendi spirituale, eo quod dans temporale ad captandam alterius Benevolentiam in ordine ad consequendum ab ipso Beneficium, revera pro *motivo* & quidem principali, ac ultimato habet consecutionem rei spiritualis, v. g. Beneficii; cum talis per temporale benevolentiam alterius non alio fine & ratione capere intendat & querat, quam ut Beneficium ab eo consequatur; ut proin consecutio Beneficii sit ultimum & principale *motivum* dandi temporale; atqui dare temporale tanquam *motivum* consequendi spirituale, vel e contra est *Simonia* juxta dicta num. 78. & Propositionem damnatam num. 79. allegatam; praesertim si spirituale sit principale *mo-*

tivum dandi temporale, aut e contra; eo quod specialiter damnatum sit ab eodem Innocentio XI. in Propositione sequenti, quae est 46. inter damnatas: Id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale *motivum* dandi spirituale; ergo etiam dare temporale ad captandam duntaxat alterius benevolentiam, ut postea memor ex benignitate conferat Beneficium, erit *Simonia*; quod tamen multi Doctores negant, & inde solutionem Quaeestiois difficultem reddunt. Nihilominus ad eandem

Resp. I. Offerre, dare, vel prestare temporale sub *Spe* consequendi spirituale; vel e contra dare spirituale, v. g. Beneficium *spe*, vel *cum*, aut sub *spe* obtinendi temporale, non est *Simonia*, si dans temporale pro fine & motivo principali non habeat consecutionem rei spiritualis, sed hanc secundario tantum, & per accidens speret, & intendat, etsi causa impulsiva, & excitativa sit: Sic etiam e contra, si dans spirituale pro fine, ut *motivo* principali non intendat acquirere temporale, sed illud secundario tantum, & per accidens speret, aut intendat, non committit *Simoniam*. Ita in re communissima Theologorum, & Canonistarum, signanter Navar. in *Manual. cap. 23. numer. 102. Suarez de Religione lib. 4. cap. 45. numer. 4.* ubi dicere non dubitat, hanc esse sententiam omnium, Sylvester *¶. Simonia quest. 16. dicto 4. Piching. h. 2. numer. 86. Abbas in c. Cum essent. 12. h. c. & ibi Barboza numer. 4. post Glossam in idem c. Cum essent ¶. Promiserat*, ubi ita ait, potest ergo licite quilibet servare Episcopo, vel alii *spe* futurae remunerationis, nec committitur *Simonia* in tali *spe*; cum sine omni passione vel conditione serviat; dummodo principaliter hac intentione non serviat.

Probatur Conclusio I. iterum ex c. Tua nos 24. h. 2. ubi postquam Papa de Clerico, qui bona sua offerens Ecclesiae rogavit, & servavit recipi in Canonico, ita respondit: Si pure, ac sine pacto vel conditione qualibet (nec tacita videlicet, nec expressa) rogans humiliter, ut in Canonico admittatur, & bona sua sibi retinere liceat pro praebenda, & Clerici ejusdem pure consentiant; hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo *Simoniae* pravitate. Statim subjungit: Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia dona, quae offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum admittendi, sine dubio tam ille quam iste apud divinum Iudicem (qui Scrutator est cordium, & Cognitor secretorum) culpabiles judicantur. Quae distincta responsione manifestè insinuat Pontifex, non esse *Simoniam* offerre, vel prestare temporalia *cum spe*, & precibus obtinendi spirituale, vel e contra; dummodo hujus consecutionem mediante temporali principaliter quis non intendat, sed alium finem principalem habeat (qualem in hoc casu bene habere poterat, Clericus bona sua offerens, promovere v. g. cultum Divinum in illa Ecclesia) & secundario tantum, minus principaliter, & quasi per accidens speret, ac intendat consequi spirituale, qualiter intendere spirituale v. g. Beneficium, utique licet, hoc ipso, quod juxta responsum Papae, offerens ex alio fine temporalia, pro consecutione Canonice licite rogare, consequenter etiam sperare licite poterit; cum nemo pro aliqua re roget, nisi illam etiam speret, & aliquo modo saltem secundario, & per accidens intendat.

Probatur II. Quando modo in Conclusionem num. 86. expresso datur temporale sub *spe* consequendi spirituale, proffus nullam nec expressam, nec implicitam intervenit pactum onerosum, nec per se paratur via mediante temporali consequendi spirituale; ergo non committitur *Simonia*; cum juxta dicta ad hanc necessarium requiratur saltem pactum implicitum.

tum. An. probatur. Qui praesto modo dat temporale sub *spe* consequendi spirituale, alterum nullo modo nec ex iustitia, nec ex gratitudine, neque explicitè neque implicitè obligare vult, ad reciproce sibi dandum spirituale; ergo nullus rei spiritualis intervenit contractus onerosus, nec etiam spirituales per temporale principaliter intenditur; eo quod, uti supponitur, pro fine principali quid aliud habeatur, & spirituale secundario, & per accidens tantum speretur, ac intendatur; ergo nec per se paratur via, mediante temporali consequendi spirituale.

92 Confirmatur. Potest quis licite ab alio sperare illud, quod alter potest licite prestare; atqui si gratis, vel ex iusto titulo do, vel praesto alteri quid temporale, potest accipiens ex gratitudine, & obligationis *Antidotalis*, juxta dicenda infra nu. 109. vel benevolentiae, aut alio justo titulo mihi reciproce dare, vel prestare spirituale; ergo possum id etiam licite sperare, minime verò alterum ad id vi pacti expressi vel impliciti obligare, vel ut ex gratitudine *Antidotali* det, exigere vel praetendere, juxta dicenda num. 110.

93 Confirmatur universali praxi & consuetudine urbis, & orbis, quae videmus, quod timorati quoque ubivis locorum serviant etiam Cardinalibus, Patronis, eiusque praesent obsequia temporalia, primario ac principaliter ob causam, ac finem licitum; secundario verò, ac minus principaliter sub *spe* directè aut indirectè consequendi ab eis spirituale, seu ea *spe* & intentione, ut capient eorum benevolentiam & amicitiam in ordine ad consequendum spirituale; atqui temerarie videtur damnare, aut damnatum censere, universalem timoratorum consuetudinem; praesertim cum sit etiam conformis communi DD. juxta dicta; ergo. Verum pro majori horum intelligentia lege infra posita a num. seq. usque ad finem hujus §.

94 Resp. II. Offerre, dare, aut prestare temporale etiam sub *sola spe* consequendi spirituale, vel *spe*, & animo captandi alterius benevolentiam & amicitiam in ordine ad consequendum ab eo spirituale, *Simonium* est, si per talem donationem & praestationem rei spiritualis consecutio principaliter intenditur, sive si spirituale, seu consecutio illius est causa, *motivum*, & finis principalis, ob quem temporale datur, vel praestatur, ac e contra. Ita expressè tenet Glossa in c. Cum essent. 12. h. 2. ¶. Promiserat, cujus textum habes supra n. 89. Navar. in *Manual. tit. 23. num. 102. Adrian. Quod. lib. 9. art. 2. sub lit. L. M. N. O. Barboza in c. cum essent. 12. h. 2. num. 4. & ibi Abbas num. 4. Sylvester ¶. Simonia. q. 16. dicto 4.*

95 Probatur Conclusio ex saepe jam citato c. Tua nos. 24. h. 2. ubi declarat Pontifex, quod si quis etiam pure, ac sine pacto & conditione qualibet temporale dat, aut praestat, & pro spirituali precise humiliter roget, consequenter sub *sola spe* consequendi spirituale, vel *sola spe* & animo captandi benevolentiam in ordine ad consequendum spirituale, id faciat, veram committit *Simoniam*, si per hujusmodi etiam liberalem & sciatam donationem rei temporalem intendit (saltem principaliter) adipisci spirituale, aut e contra: Concordat. c. Etsi quaeestiones. 18. eod.

96 Ratio Conclusiois est; quia quodcumque per temporale principaliter quis intendit consequi spirituale, jam hoc ipso à parte rei dat temporale tanquam *motivum* consequendi spirituale, juxta amplius dicta num. 87. & 88. Nec excusaris, si dicas, te non dare temporale ut *motivum* consequendi spirituale, sed tantum sub *spe* consequendi illud, seu *spe* & animo captandi benevolentiam in ordine ad consequendum spirituale; Nam contra est, quod ita di-

cere sit mera, & coram Deo nullius valoris lusio in verbis, si, uti Conclusio supponit, per donationem & praestationem rei temporalis spirituale consequi principaliter intendis; cum hoc ipso, quod per unum principaliter intendas consequi aliud, illud tanquam medium, viam, & *motivum*, istud acquirendi habeas; hoc autem *Simonium* esse, certum est ex Conclusione num. 78. data; ergo. Secus foret, si per temporale principaliter quid aliud intenderes, & minus principaliter, seu secundario, & quasi per accidens inde spirituale sperares.

Confirmatur Conclusio; si quis non obtineat, 97 quod per temporale speret, & principaliter intendat acquirere temporale, excusaretur à *Simonia*, omnia Decreta Pontificia, omnesque Canones *Simoniam* Ecclesiae tantopere nocivam, tantis sub penis prohibentes, quibus facile eludere possit, modo diceret: Non do, vel praesto hoc temporale, ut pretium, neque ut *motivum* consequendi spirituale, sed tantum sub *spe* illud consequendi: vel ad conciliandam ipsius benevolentiam & amicitiam, in ordine ad obtinendum ab ipso Beneficium. Et protestò quæro à quovis Adversario, quid sentiat de duobus sequentibus casibus: Ponamus duos Clericos, quorum unus Parochiam, alter verò Canonicatum vacantem ambit; quis eorum videns, se vel ob defectum qualitatibus, ob copiam plurium, & forsitan digniorum Competentum difficulter obtenturum suum intentum, resolvit, Collatori, aut Praesentatori 100. aureos offerre principaliter intendens hoc modo Canonicatum, vel Parochiam obtinere; unus verò eorum dicit, vel cogitat: scio, quod hic *Spe* amet, & acceptet munera, dabo ergo ei 100. aureos, ut moveam, & alliciam ipsum, quatenus mihi pra. alius conferat. Alter verò ita dicit, vel cogitat: scio hunc vel illum non esse inimicum manerem: vel forsitan valent quid ipsum aliquid munera: Dabo ergo illi 100. aureos, quia N. B. spero inde fore, ut mihi pra. alius conferat Canonicatum: vel dabo ei 100. aureos ad captandam ejus benevolentiam & amicitiam, ut dein ex benignitate, vel gratitudine Beneficium mihi conferat. Quæro inquam à quovis Adversario, quid sentiat de his duobus casibus, an non à parte rei idem importent? an audeat coram Deo aliquid horum à *Simonia* excusare? an non quis revera temporale ex *motivo* consequendi spirituale, Beneficium videlicet, offerat, consequenter uterque *Simoniae* certe reus sit, licet posterior alius utatur terminis, dicendo, vel cogitando se temporale non ex *motivo*, sed sub *spe* consequendi spirituale offerre, vel ad conciliandam ipsius amicitiam, aut benevolentiam, ut ei Beneficium conferat.

Si dicis, priorem, non item posteriorem esse reum *Simoniae* ob dictorum verborum diversitatem; quæro ulterius, an non exinde manifestè sequatur, quod quis Decreta Pontificia, & Canones *Simoniam* prohibentes, facillimè eludere possit, adhibendo loco termini *motivum*, seu ex *motivo*, terminum sub *spe*, vel ad captandam benevolentiam? quæ sequela utpote absurdissima & scandalosa, quia admitti minime potest, nec id, unde sequitur, admittere, sed dicere debemus, quod dicit Conclusio nostra num. 94. posita, videlicet etiam illum, qui temporale offert seu praestat duntaxat sub *spe* consequendi spirituale, seu ad captandam alterius benevolentiam, & gratiam, ut postea Beneficium sibi conferat, vel quibuscumque tandem verbis utatur, revera *Simoniam* committere, si per temporale principaliter intendat consequi spirituale, per Jura & rationes ibidem allegatas.

Confirmatur ulterius, juxta D. Thomam 2. 2. q. 100. art. 2. ad 2um, quem in hoc Juri conformiter

communiter sequuntur DD. quodcumque quis per temporale parat sibi viam ad obtinendum spirituale, seu quando dat, vel prestat temporale, animo per illud obtinendi spirituale, semper committit *Simoniam*; quibuscumque tandem utatur verborum formulis, & expressionibus; at, qui per temporale *principaliter* intendit obtinere spirituale, id utique facit, ergo *Simoniacus* est; etsi dicat, se temporale non dare, vel prestat ut *motivum* consequendi spirituale, nec sub aliqua conditione, vel obligatione recipere consequendi spirituale, sed gratis, *sub spe* tamen obtinendi spirituale, vel ad conciliandam alterius benevolentiam in ordine ad obtinendum spirituale; quia his verbis in opere contradicit, hoc ipso, quod, uti supponitur, per temporale *principaliter* intendat obtinere spirituale, cum, quia ita intendit, temporale revera ex motivo obtinendi spirituale prestat, indeque perfectam *Simoniam* certo committat, juxta dicta *num. 78.* prestatum quia evitare non potest, quin, si prestat intentione temporale prestat, alteri aliquam non quidem ex iustitia, sed talem obligationem reciproce dandi spirituale tacite saltem, implicite, & virtualiter imponere velit, quae ad *Simoniam* sufficit, quantumvis, se temporale gratis, & sine ulla conditione: vel obligatione *sub spe* duntaxat consequendi spirituale &c. prestat, prout aperte constat tum ex dictis, tum ex *c. Tua nos. 34. b. a.* ubi expresse habetur, quod etsi Clericus dicat, se pure, & sine pacto, vel conditione, aut obligatione offerre sua bona Ecclesiae, tamen *Simoniam* committat, si per talem donationem spirituale, Canonicatum nempe intendat.

100 **Quaeritur IV.** Unde desumendum sit, temporale *principaliter* dari, aut prestat animo consequendi spirituale, consequenter ex pacto saltem tacito & implicite; vel potius ex alio iusto titulo, sive *Simoniam* committit, vel non? Resp. I. Pro Foro interno rem omni carere difficultate; cum enim pro hoc Foro cujuscumque attendatur conscientia, ejusque inspicitur mens & intentio, facile quis judicabit; dummodo se ipsum, vel potius conscientiam suam interroget: quare precipue hoc temporale, v. g. istud honorarium, illas pecunias, illam picturam vis dare, aut dedisti, vel quare hoc aut istud obsequium temporale huic aut illi prestat, aut prestitisti? si coram Deo, aut in conscientia cognoscis, te revera precipue seu *principaliter* ea intentione & animo, seu ideo fecisse, aut facere ut ab illo, vel per illum obtineres spirituale, v. g. Beneficium, Ordines &c. reus es *Simoniae*, quibuscumque tandem verbis ad palliendam malitiam utaris, vel usus sis.

101 Si vero coram Deo, & in conscientia invenis, ac in veritate dicere potes, te revera id precipue ex alio titulo, sine, aut motivo fecisse, immunitis es a *Simonia*, etsi minus principaliter, & secundario, ac quasi per accidens inde speraveris etiam spirituale; imo etsi spes consequendi spirituale fuerit causa impulsiva & excitativa ad dandum, vel prestandum temporale, ita ut istud ex alio et si principali motivo non prelatisset; dummodo, ut dictum, *principaliter* ex alio sine vel titulo id revera prelatiteris, ut bene advertit Navarrus *Manual. cap. 23. n. 101.*

102 Notandum siquidem pro consolatione multorum ex Navar. *loc. cit.* citante Maronium in *4. dist. 25. q. 1. D. Thom. quodlib. 8. art. 2.* contra Bartolum in *L. 2. §. fin. ff. de Donat.* bene fieri posse, quod quis certum, eumque principalem ac precipuum finem, motivum, & causam agendi habeat, & ta-

men non ageret, nisi ab alio minus principali sine & causa ad id excitaretur, & impelleretur; adeoque universaliter verum non sit, causam sui motivum principale alioquin actionis esse, quo cessante, cessaret, vel non ferret actio; cum haec definitio multis causis principalibus non conveniat, ut pluribus ostendit Navar. *loc. cit.* & ad propositum patebit in exemplis infra ponendis.

Resp. II. Pro Foro externo, utrum temporale *principaliter* aut precipue datum, aut prelatum sit animo consequendi spirituale, in dubio ex circumstantiis judicari debet. Et quantum ad hoc tria sunt maxime attendenda: *Personae* scilicet dantis, & accipientis *qualitas*; *Quantitas* muneris; & *Donationis tempus*, prout habetur, & amplius declaratur *c. Esi. question. 13. b. 2.* de quo etiam magis infra.

Ceterum ex dictis in hoc *Spbo* colliges pro praeteriti *Simoniam* committi I. In omnibus illis casibus, quos supra a *num. 73.* usque ad *num. 78.* attulimus; etsi loco termini *sub motivo*, utantur terminis *sub spe*, seu *animo captandi benevolentiam*.

II. Illos, quos *num. 97.* induximus.

III. Omnes illos, qui temporale offerunt, dant, vel prestant ex solo & principali sine, & motivo consequendi spirituale, quibuscumque tandem utantur verbis, dicendo v. g. te tantum dare *gratis*, vel *sub spe* consequendi spirituale, vel ad *captandam benevolentiam* in ordine ad consequendum spirituale.

Econtra vero a *Simonia* immunes esse, qui primario & principaliter ex alio sine dant, vel prestant temporale, licet etiam sperent, & secundario, ac per accidens intendant consequi spirituale, indeque ad dare alliciantur, non datur, nisi etiam haec spes adest, ob dicta *num. 101. §. nu. 102.* Tales in specie sunt

I. Capellani, vel alii Clerici, qui pro competentis salario servantur Episcopis, Praepositis, vel aliis Collatoribus, aut Patronis, etsi inde sperent, & secundario intendant consequi Beneficium.

II. Studiosi, Pædagogii, & hujusmodi, qui pro competentis salario prelati servantur, instruendo v. g. Juventutem, etsi inde sperent etiam cum tempore promoveri ad Ordines, ad Beneficium &c.

III. Clerici, & Laici quicumque, qui principaliter ex charitate, vel gratitudine, vel iustitia, aut alio iusto titulo offerunt, vel dant temporale, aut prestant obsequium temporale; etsi *secundario* sperent, inde etiam directe, vel indirecte promoveri ad spirituale.

IV. Omnes, qui servantur quidem pro nullo, aut incompetenti salario, ideo tamen, ut hac occasione pateant ipsorum qualitates, & talenta, quantum dein intuitu horum, Beneficium eisdem conferatur: vel occasione habeant sibi metipsis vigilandi, & tempore Vacaturæ, debito & licito modo pro Beneficio sollicitandi.

V. Pariter a *Simonia* immunes sunt, qui alicui conferunt Beneficium, vel ad illud presentant, aut votum dant &c. ideo principaliter, quia illum digniorem agnoscunt; vel quia a Principe, vel Magnatibus specialiter commendantur; vel quia obligationi gratitudinis, quam erga talem, vel propinquos ipsius habent, satisfacere volunt &c. licet *secundario* etiam sperent pro se, si quisque obtinere quid temporale &c.

§. VI.

De Simonia, quae committitur, quando temporale offeritur, datur, aut praestatur pro spirituali, vel econtra ex titulo gratitudinis, aut gratuite compensationis.

SUMMARIUM.

- 106 *Tria quaeruntur ad propositum.*
- 107 *Simoniacum est, si sit pactum tacitum vel expressum dandi temporale pro spirituali ex gratitudine.*
- 108 *Probatur: §. num. praeced.*
- 109 *Obligatio Antidotalis gratitudinis quovis contrahit, qui Beneficium ab alio accipit.*
- 110 *Si illius tamen nullus tenetur ad compensandum seu retribuendum quid certum, ac determinatum.*
- 111 *Simoniam committit, qui pro obtinendo Beneficio spirituali dicit, ero gratus, vel gratum me exhibebo &c. si his verbis intendit dare temporale ex gratitudine.*
- 112 *Solvitur Obiectio.*
- 113 *Non est Simonia, pro obtinendo Beneficio promittere, se gratum fore, si quis temporale pro tunc non intendit.*
- 114 *Dummodo ex parte alterius absit scandalum.*
- 115 *Solvitur instantia.*
- 116 *Dare ex gratitudine temporale pro spirituali jam accepto, Simonia est, si sit vi pacti antecedentis.*
- 117 *Secus est, si ex mera gratitudine sine precedenti pacto sit.*
- 118 *Probatur ratione.*
- 119 *Et universaliter etiam piorum consuetudine: Et num. seq.*
- 121 *Sunt aliqua, pro quibus etiam gratis oblatum non licet acceptare ob specialem Juris prohibitionem.*

106 **T**ria potissimum circa primam partem hujus §. vi examinanda sunt. I. An *Simoniacum* sit, facere pactum, aut promissionem dandi ex gratitudine, vel prestandi temporale pro spirituali, aut econtra? II. Quid Juris de communi illo modo & praxi, qui sollicitantes seu rogantes pro spirituali dicere solent: *Ego gratus, vel non ingratus: certo exhibebo me gratum: affecuro, quod gratus sim futurus &c.* III. An, & quomodo liceat, post acceptum jam spirituale ex gratitudine dare temporale, aut econtra?

107 **Q**uaeritur itaque I. An *Simonia* committatur, si sit pactum aut promissum tacitum vel expressum dandi, aut prestandi temporale pro spirituali, aut econtra ex sola gratitudine? Resp. Affirmative. Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia. cap. 45. numer. 11.* Gibalin. *de Simonia q. 10. Consult. 3. num. 5.* cum communi, & hodie certissimam aliorum ob Decretum Innocentii XI. qui damnavit propositionem, seu doctrinam, & opinionem contrariam sic sonantem: *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale sit solum gratuita compensatio.* Probatur Conclusio in primis omnibus fundamentis, quibus praeced. §. ostendimus, dare temporale pro spirituali, aut econtra, ex pacto sine tacito, sine expresse esse *Simoniam*.

108 **P**robatur alterius ex Definitione *Simoniae*, qua dicitur *studiosa voluntas emendi, vel vendendi temporale pro spirituali; ubi per ly emendi, vel vendendi intelligitur quivis tacitus, vel expressus con-*

tractus onerosus; qualis utique etiam est contractus dandi ex gratitudine; cum hic aequè ac alius onus, & obligationem imponat.

Confirmatur: si offerre, promittere aut pacisci temporale pro spirituali, ex sola gratitudine, non esset *Simonia*; posset quivis facillimè eludere omnes leges, & penas contra *Simoniam* latas, dicens: *non promitto, vel prelo temporale pro spirituali ex obligatione iustitiae, sed gratitudinis*, prout in simili diximus supra.

109 **O**bjicies I. Potest quis licite, consequenter ab alio *Simonia* pacisci, & promittere id, ad quod alius Jure Divino & naturali tenetur, seu obligatur; sed qui accipit spirituale, vel quodcumque aliud sine spirituale, sine temporale beneficium ab alio, contrahit obligationem *Antidotalis* gratitudinis, seu tenetur ex gratitudine ad compensandum; cum juxta communem Theologorum & Juristarum accipere beneficium aliquod, & suscipere in se obligationem *Antidotalis*, seu obligationem gratitudinis, quae beneficium acceptum, gratè compensare tenetur, necessariò cohaereant, arg. l. *Sedes. 25. §. Consultus. 11. ff. de Petit. Heredit.* ergo licite & abique *Simonia* potest quis etiam pacisci & promittere, quod ex gratitudine velit dare temporale pro spirituali, aut econtra. Resp. Concessa *Major*, dissentit *Minor*. Qui accipit beneficium ab aliquo, contrahit obligationem *Antidotalis*, seu tenetur gratum esse, & ex gratitudine beneficium acceptum compensare, dando vel faciendo in bonum Benefactoris aliquid determinatum, negatur *Min.* aliquid indeterminatum, juxta arbitrium & beneplacitum Compensantis, conceditur *Min.* & sub hac distinctione negatur & conceditur *Consequenter*.

110 **P**ro majori Distinctionis intelligentia notandum cum Cardenas in *Propositionibus damnatas cap. 3. art. 2.* & communi Doctorem, quod licet ex quovis dono, aut beneficio sine temporalis, sine spirituali accepto, quilibet de jure & equitate naturali contrahat aliquam gratitudinis obligationem, *antidotalis* communiter dictam, tamen vi hujus nemo tenetur ad aliquid certum, vel determinatum dandum, vel retribuendum Benefactori, sed duntaxat ad gratificandum, retribuendum, vel beneficium eidem modo, quem ipse retribuens postea elegerit, seu pro suo arbitrio & beneplacito, ita ut temporale tam per temporale, quam spirituale etiam solis precibus ad Deum pro Beneficere suis compensare, suaeque obligationi *antidotali*, seu gratitudinis satisfacere; & eam delere valeat: ut proin, quando vi pacti taciti vel expressi accipiens donum vel beneficium aliquod, obligatur ad aliquid certum & determinatum dandum, seu retribuendum, jam excedatur *antidotalis*, seu gratitudinis obligatio, novaque, novum onus habens, non ex sola gratitudine, sed ex alio titulo profecta imponitur. Hinc etiam ad propositum, si quis vi pacti taciti vel expressi obligatur pro temporalis, determinate dare aliquid spirituale vel econtra, jam excedit obligatio gratitudinis, seu *Antidotalis*, hoc ipso, quod obligetur ad aliquid certum & determinatum, ad quod nullo Jure Divino aut naturali, sed vi solius pacti taciti vel expressi, consequenter *Simoniacè* obligatur.

111 **Q**uaeritur II. An, & quando committatur *Simonia*, per communem illum modum & praxim, qua sollicitantes, aut rogantes pro aliqua re spirituali v. g. Beneficio, Ordine sacro, Dispensatione &c. dicere solent: *rogo, habeat me sibi recommendatum, vel dignetur esse mei memor, vel, quæso, conferat, vel procuret mihi hanc Parochiam, illud Beneficium, jam exhibebo me gratum, vel, ero certo gratus, vel, non*

ero ingratus vel promitto me futurum gratum &c. Resp. I. Vera committitur Simonia, non tantum, quando quis expresse pacificatur, aut promittit dare ex gratitudine temporale pro spirituali aut e contra, dicendo v. g. ad Collatorem; si mihi confers beneficium, vel ad Praesentatorem; si me praesentas ad Beneficium, vel ad quemcumque alium; si mihi procuras, aut impetras hoc Beneficium, vel Parochiam, promitto ex gratitudine tibi dare, aut praesentare hoc vel illud temporale. Sed eadem etiam committitur per illos in quolibet specificatos modos, quotiescunque huiusmodi modo, aut verbis utens revera intendit, dare aut praestare temporale pro spirituali, aut e contra. Conclusio post Decretum Innocentii XI. est certa, eamque expresse tenet in Propositionibus damnatis scribens Cardenas in Crisi Theolog. Dissert. 27. cap. 1. § 2. patetque ex fundamentis iam allegatis supra, quibus probavimus, etiam ex sola gratitudine promittere temporale pro spirituali, vel e contra, vel dare & offerre temporale, ut alter moveatur ex gratitudine dare spirituale pro temporali, vel e contra, esse Simoniam.

112 Dices, praefatis modis fit affectatio, oblatio, aut promissio grati animi, vel gratitudinis in genere duntaxat, abstrahendo a temporali, vel spirituali; atqui accipiens spirituale tenetur ex gratitudine, seu obligatione antidotali saltem ad aliquid pro tunc indeterminatum, & in genere, pro accepto Beneficio retribuendum, juxta dicta numer. 109. & 110. ergo ad idem in genere potest quis se obligare. Resp. Transmisso toto argumento, negando Suppositum; quia si quis utendo huiusmodi oblatione, aut affectatione gratitudinis, revera intendit temporale ex gratitudine dare pro spirituali, jam non amplius offert solum gratitudinem in genere, nec solum observationem obligationis antidotalis, (cui pro libitu satisfacere posset vel per spirituale v. g. preces, vel per temporale) sed offert & promittit temporale pro spirituali, aut e contra in specie, saltem interne, quod coram oculis etiam interna intuitus Divini Iudicis sufficit, ergo.

113 Resp. II. Si quis aliquem ex praefatis modis in procurando spirituali adhibet, dicendo v. g. ero gratus, vel promitto me futurum gratum &c. & per hoc determinate non intendit dare aut praestare temporale, sed gratum duntaxat animum, suamque obligationem antidotalem exponere, eamque observare promittit vel affectat, nullius Simonia reus erit, si ex parte alterius scandalum abest, Cardenas loc. cit. num. 65. Patetque Conclusio ex dictis numer. 109. quia nemo prohibetur, id pacifice & promittere, ad quod Jure Divino, & naturali obligatur, atqui Jure naturali tenetur quis ex obligatione antidotali, seu ex gratitudine pro beneficio etiam spirituali esse gratum, gratumque se exhibere, dando vel faciendo aliquid pro arbitrio suo in bonum Benefactoris; ergo id etiam potest promittere; dummodo, ut dicit Conclusio, promittendo se gratum, temporale dare non intendat.

114 Dicitur tamen notanter, si ex parte alterius abest scandalum: si enim huiusmodi affectationem aut promissionem generalis gratitudinis faciens, studio utitur talibus verbis, ut alter decipiat, & credat, se offerre, vel promittere, quod gratum animum per temporalia exhibiturus sit, scandalum committit, reusque & particeps & Simoniae alienae, ad quam alterum inducit; licet ipse interne temporale ex gratitudine non intendat. Eiusdem scandalum, & ex illo Simonia reus est etiam ille, qui huiusmodi oblatione gratitudinis alterum decipere & inducere non intendit, scit tamen, vel advertit, illum per talem gratitudinis oblationem intelligere

oblationem temporalium, ac propterea dare beneficium; quia licet non intendat ipsum ad Simoniam inducere, tamen re ipsa, & quidem illicite inducit, hoc ipso, quod ponat actum, ex quo illum ad Simoniam induci, bene cognoscit, & quem facillime omittere posset, ac consequenter teneretur juxta communem Theologorum de materia scandalum; posset enim vel omnino abstrahere a tali oblatione gratitudinis, vel dicere se fore gratum, apud Deum, per preces, vel Sacrificia &c. & sic rependere spirituale pro spirituali, quod licet.

Dices, si quis pro obtinendo beneficio, Parochia &c. nullam gratitudinem, vel solum spiritualem offert, nil acquirit, ergo necessarium offerri & promitti debet gratitudo saltem in genere. Resp. Ita dicendo clare manifestas, quod simili modo velis audientem decipere, hoc ipso, quia scis, & credis, te nil obtenturum, nisi talem gratitudinis oblationem facias, quam ipse per temporalia futuram existimat.

115 Queritur III. An, & quando Simonia committatur, si post acceptum jam spirituale, vel gratitudinem datur, aut praestatur temporale, vel e contra? Resp. I. Si post acceptum jam spirituale datur ex gratitudine, vel praestatur temporale, aut e contra, vi pacti aut contractus taciti vel expressi ante Collationem rei spiritualis modo aliquo ex allegatis numer. 111. rei facti, Simonia committitur, & quidem Reali poenas Juris inducens. Conclusio probata manet ex dictis. Patetque ex Decreto Innocentii XI. in quo tanquam Simoniacum damnatur, dare temporale pro spirituali per modum compensationis gratitute; intellige, si talis compensatio fiat vi pacti antecedentis ademptionem rei spiritualis, prout bene observat Cardenas loc. cit. cap. 3. art. 1. 2. § 3; & patebit ex conclusione sequenti. Nam

117 Resp. II. Si post acceptum jam spirituale promittitur, datur, vel praestatur temporale, aut e contra, non vi taciti vel expressi pacti antecedentis, ex mera gratitudine, & ad satisfaciendum obligationi antidotali, nulla poenis committitur Simonia. Navarrus Manual. cap. 23. num. 106. Sotus lib. 9. de Justit. quest. 7. art. 2. § 3. Moya p. 1. Select. 99. disp. 1. quest. 3. num. 2. dicens, in hoc Neminem dissentire. Verum licet haec opinio sit communis, aliquos tamen contradicentes habet. Probatum Conclusio ex can. Quidquid tot. cau. 1. q. 1. ibi: Nisi voluntarie oblata &c. & c. Dilectus. 30. h. t. ibi: Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum, &c. Esti Quaestiones. 13. eod. cum Concordant.

Ratio Conclusionis est: Tum quia ad Simoniam necessarium requiritur pactum aliquod expressum, vel saltem tacitum & implicitum juxta dicta nu. 68. nullum autem horum adest in casu Conclusionis, ergo: Tum quia obligatio Antidotalis ob acceptum Beneficium contracta, non est determinata ad tribuendum Beneficium eodem genere beneficii, v. g. spirituale pro spirituali, temporale pro temporali, sed est indeterminata, ita, ut eidem quivis pro libitu & arbitrio suo satisfacere queat, etiam temporale pro spirituali, aut e contra rependendo.

119 Confirmatur consuetudine, & praxi quotidiana, qua videmus, quod etiam Sedes Apostolica, & innueneri imo teste Navarro loc. cit. ferè omnes Ecclesiarum Praelati, Jurium quoque peritissimi ac timorati beneficia Ecclesiastica iis, qui de se, vel Ecclesia pro dona, & obsequia temporalia bene sunt meriti, conferant, sicutque obligationi Antidotali, seu gratitudinis, qua illis sunt obligati, rependendo spirituale pro temporali satisfaciant. Pariter constat ex universalibus ubivis locorum vigente

gente consuetudine & praxi, quod piissimi, & doctissimi post acceptum jam spirituale v. g. beneficium Ecclesiasticum, temporale ex gratitudine promittant, & ad satisfaciendum obligationi Antidotali sine ulla serupulo offerant suis Benefactoribus, istique ex gratitudine datum, sine serupulo recipiant, Jure nullibi reclamante, sed potius approbante; dummodo nullum tacitum & expressum pactum Collationem rei spiritualis praecedat, & vi illius nil fiat, prout dictum. Peccari tamen potest alio genere peccati, v. g. contra illam legem, qua beneficia praesertim Curata conferri debent dignioribus.

120 Uterius manifestè constat, omnes ferè homines Christianos obligationi Antidotali seu gratitudinis, qua aliis ob accepta beneficia temporalia attinguntur, satisfacere pro spirituale, fundendo videlicet preces (quae utique sunt quid spirituale) pro Benefactoribus ob temporalia bona accepta, sicut & alii propter obsequia spiritualia à Religiosis v. g. accepta, ex gratitudine dant, vel praestant temporalia, nemine somnante, id Simoniacum esse; praesertim cum ipse Apostolus Paulus id approbet dicens ad Corin. h. 9. Si nos carnalia vestra metamus &c.

121 Limitatur tamen Conclusio in his, ob quae jam accepta, etiam gratis aliquid acceptare, jura specialiter prohibent, ut v. g. prohibet Concilium Tridentinum. Sess. 24. de Reform. cap. 18. Examinatoribus venientium ad concursum pro Parochia, ne ante vel post etiam gratis oblata recipiant. Item Sess. 21. de Reform. cap. 1. ubi prohibet, ne etiam gratis oblata recipiantur pro collatione Ordinum: similes prohibitiones speciales extant, ne ante vel post recipiantur gratis oblata pro recognitione, aut expeditione Indulgentiarum &c. De quibus alibi.

§. VII.

De Simonia, quae committitur promittendo, dando vel praestando temporale pro precibus, intercessionibus, recommendationibus in ordine ad obtinendum spirituale: ubi etiam de nonnullis aliis dubiis circa Simoniam in genere.

S U M M A R I U M.

- 122 Dare, aut praestare temporale pro intercessione, aut recommendatione in ordine ad obtinendum beneficium spirituale, Simoniacum est.
- 123 Probatum ratione.
- 124 Confirmatur.
- 125 Dare temporale alicui, ut sollicitantem pro Beneficio praesens informet de illius qualitatibus, Simonia caret.
- 126 Non tamen periculo Simoniae.
- 127 Non est Simonia, dare alicui pecuniam ut audientiam procuraret. sollicitantem insinuet &c.
- 128 Neque vitium, bene vero periculum Simoniae est, dare, aut promittere temporale pro labore, quem subit ille, qui aliquem ad Beneficium commendat.
- 129 Post preces, aut commendationem ad obtinendum Beneficium jam factas, non est Simonia, promittere, vel dare temporale.
- 130 Qui sicte promittit dare temporale pro spirituali, Simoniam directe non committit.
- 131 Nec poenas illius incurrit.
- 132 Non est Simonia, conferre alicui spirituale intuitu Consanguinitatis, amicitiae &c.
- 133 Solutur instantia.

Experientia constat, spiritualia, praesertim Beneficia Ecclesiastica per se procurari, & obtineri etiam per preces, intercessiones, & recommendationes aliorum. Hinc pro praxi merito instituitur specialis hic §.

125 Queritur I. An Simoniam committat, qui temporale promittit, dat, vel praestat alteri v. g. Ministro Episcopi, Praesentatoris &c. vel alicui alteri, quem apud Collatorem, Praesentatorem &c. quid valere putat, hac intentione seu hoc motivo, ut apud Collatorem, vel Praesentatorem intercedat, roget, vel ipsum commendet in ordine ad obtinendum spirituale, v. g. Beneficium Ecclesiasticum? Resp. I. Talem revera committere Simoniam. Navarrus Manual. cap. 33. num. 106. Bonacini de Simonia qu. 1. §. 1. num. 14. Barb. in c. Nemo b. r. num. 4. Layman. de Simonia. §. 6. num. 65. Sylvest. 7. Simonia. quest. 6. cum communi & certis aliorum, arg. can. in cau. 1. q. 5. ubi tanquam Simonia reputatur promotio ad Sacerdotium obventa per pecuniam, non Episcopo, sed cuidam Principi ejus (id est, alicui familiari, vel principali Ministro illius) datam. Et can. Statuimus. 107. cau. 1. q. 1. ubi Papa tres enumerat species Simoniae: quarum unam esse asserit, quando Simoniaci Simoniacè a non Simoniacis ordinantur; quales sunt, qui pecuniam, vel aliud temporale non Episcopo Ordinanti, sed alicui alteri hac intentione, vel motivo offerunt, ut ipsi per intercessionem, aut recommendationem Ordines apud Episcopum hujusmodi ignorant, consequenter ex parte sua Simoniacè non Ordinantem obtineant.

124 Ratio Conclusionis est; quia talis per temporale parat sibi viam ad acquirendum spirituale, si mulque illud pro isto dare censetur. Quamvis enim preces, & intercessio sint quid temporale, consequenter pro illis dare temporale, quantum est de se, non sit Simoniacum; nihilo minus, si datur pro illis temporale in ordine ad obtinendum spirituale, ita ut principaliter non nisi propter hoc, seu ad hoc per preces obtinendum detur temporale, nec alia ratione preces curentur, vel assumantur, jam connexionem aliquam cum spirituali habent, & virtualiter spirituale quid esse censetur; consequenter pro illis hac ratione & motivo temporale dare, Simoniacum est. Doctores citati.

125 Confirmatur: qui alicui promittit temporale pro precibus aut intercessione, sub hac expressa conditione, si fuerint efficaces, seu si per illas se ipsa Beneficium pro se obtineatur, certissime committit Simoniam, ut cum Suarez lib. 4. de Simonia. cap. 53. num. 15. fatetur omnes; eò, quod tunc temporale, detur pro precibus ut habentibus effectum spirituale, sicutque pro causa morali ipsius spiritualis; ergo etiam si quis absque conditione expressa dat temporale pro precibus, hac principali intentione & motivo, ut per eas spirituale effectum consequatur; cum etiam in hoc casu preces non nisi ut causa moralis obtinendi spirituale, principaliter respiciantur, sive non; ergo. Accedit; quod tanquam Simoniacum ab Innocentio XI. damnatum sit, dare temporale ex motivo consequendi spirituale, quale in tali casu virtualiter saltem sunt preces, intercessio, aut recommendatio.

126 Resp. II. Qui alicui dat, aut promittit temporale pro sola informatione, seu praesens ideo, ut Collatorem, Patronum Beneficium nudè veritate informet, de suis qualitatibus & meritis, non verò, ut pro ipso intercedat, ipsumque in ordine ad Beneficium commendet, speculativè loquendo, Simoniam non committit. Diana p. 11. tr. 6. Resolut. 31. Matth. de Moya

Moya p. 2. Select. 99. r. 2. disp. 1. q. 4. num. 9. cum communi aliorum. Ratio conclusionis est; quia talis informatio non est causa moralis collationis vel Presentationis ad Beneficium, sicut sunt preces & intercessio; hæ enim interpolatæ, quia immediate movere censentur, ad conferendum Beneficium, vera causa moralis sunt hujus collationis; non item informatio, utpotè quæ, dum fit, non ipsa, sed merita per ipsam posita movent, & causa moralis sunt Collationis; ipsa informatio verò est nuda causæ applicatio.

126 Dixi speculative, Simoniam non committit; quia practice loquendo hujusmodi informationes pro temporalibus, aut raro absque Simonia petuntur, & præstantur; eò, quòd pecunie, vel aliud temporale ordinariè non pro sola & nuda veritatis informatione, (utpotè quæ plures parùm juvaret ad finem intentum) sed etiam pro precibus, intercessione, & recommendatione dentur; qua ratione jam committitur Simonia ob rationem numer. 123. & 124. allegatam, uti bene advertunt Doctores citati, & cum ipsis etiam Palao de Simonia punct. 11. numer. 5. rem valde periculosam agnoscent. Quòd si tamen pecunia vel aliud temporale pro nuda informatione, modo in Conclusionem allegata detur (prout fieri etiam in praxi impossibile non est) bene enim contingere potest, ut vir aliquis solis suis qualitatibus & meritis confidens, præcisè petat, ut de his Collator, vel Præsentator verè informetur, & propterea alteri pecuniam offerat, Simonia non committitur, saltem si pecunia modica, vel aliud temporale modici pretii sit, æquivalens & correspondens labori, quem in faciendi informatione alter subit. Nec refert, si dein talis informator suum officium excedat, laudes, preces, & recommendationes addendo, dummodò hoc gratis, & non ad instantiam petentis beneficium, nec intuitu temporalis ex tacito vel expresse pacto faciat.

127 Quæritur II. An etiam Simoniacum sit, Ministro, vel famulo Episcopi, Collatoris, ac Patroni dare, vel promittere temporale, non ut pro dante intercedat, aut ipsum commendat, sed tantum audientiam procuret, vel aditum faciat apud ipsum, monendo v. g. adesse, qui audientiam petit, vel aliquid proponere habet, aperiendo januam, aut monendo supplicentem, quando sit opportunum audientie tempus &c. Resp. Pro hoc dare temporale, caret Simonia. Suar. de Simonia cap. 53. num. 17. Palao de Simonia punct. 11. num. illoque teste Doctores omnes. Ratio est; quia hujusmodi obsequium, quòd à tali famulo, vel ministro præstatur, est quid merè temporale, & quid indifferens, nullamque connexionem cum spirituali habens, & nullà etiam ratione, causa illius moralis est; ac consequenter temporale pro illo dare, aut promittere, omni labe Simoniæ caret.

128 Imò ex eadem ratione non tantum memoratis Ministris, & famulis, sed etiam ipsis, qui pro aliquo ad obtinendum Beneficium intercedunt, potest promitti & dari aliquid temporale, non quidem pro precibus, intercessione, aut recommendatione, sed pro labore, quem occasione hujus subire debent, v. g. euando, & redeundo, vel scribendo supplicem libellum; ac multo magis, si propter operam alicui impensam, lucrum cessans, aut damnum emergens patiuntur. Dummodò non plus detur, quam hujusmodi labor, aut lucrum cessans, vel damnum emergens spectatis personæ & aliis circumstantiis reverè valet; aliis enim Simonia non evaderetur, uti bene observat Palao loc. cit. qui etiam cum aliis monet, pro labore, quem intercessores, aut recommendatores

hujusmodi, euando, redeundo, vel scribendo subeant, temporale dare, aut præstare, valde periculosum, & idè in praxi ab eo abstinentum esse; cum plerumque aut intuitu precum & recommendationis, & non laboris temporale promittatur, aut certè in dando temporali, respectu laboris excedatur, sicque labe Simoniæ contrahatur, hoc ipso, quòd excessus ille non intuitu laboris, sed precum, aut Beneficii desiderati fiat.

Resp. II. Non est Simoniacum, nec alià ratio, ne illicitum, post preces, aut recommendationem in ordine ad obtinendum spirituale jam factas promittere, dare, aut præstare temporale; dummodò nullum tacitum vel expressum pactum de illo præcesserit. Communis, patetque ex dictis num. 117. si enim spirituali jam accepto licet ipsi etiam Conferenti spirituali ex gratitudine promittere, dare, aut præstare temporale, juxta ibid. dicta, multò magis id promittere, aut dare intercessori, argumento desumpto à majori ad minus *l. in suis, in sine, ff. de liber. & Postum. cum concordant.*

Quæritur III. An Simonia, & pœnarum contra illam statutarum reus sit, qui factè promittit dare temporale pro spirituali, vel pro precibus, recommendatione in ordine ad spirituale obtinendum fungendis, aut qui falso simulat, gratum se fore dando temporale pro spirituali absque animo promissum adimplendi? Resp. quamvis talis gravissimè peccet ratione scandalii, quò alterum ad Simoniam inducit, aut saltem inducere intendat, nihil minus sine Simonia directè non committit, ac propterea nec pœnas illius ab Ecclesia statutas incurrit. Prima pars Conclusionis de peccato scandalii est extra controversiam, nullaque indiget probatione. Secundam partem, quòd Simoniam directè non committit, docent Suarez lib. 4. cap. 42. num. 4. Eman. Roderiquez *ψ. Simonia. cap. 56. num. 6. Sotus de Justit. lib. 9. q. 8. a. 1. §. Dubium. Castro Palao de Simonia Disp. 3. punct. 6. num. 2. Lessius de Just. & Jur. cap. 35. dub. 1. num. 11. cum communi aliorum contra Navarrum cap. 23. num. 106. Ratio est, quia deest essentielle requisitum ad Simoniam, voluntas videlicet emendi, vel vendendi spirituale pro temporale, quam voluntatem utique reverè non habet, qui illam se habere tantum fingit, & simulat.*

Tertia pars, quòd talis non incurrat Juris pœnas, sequitur ex secunda; hoc ipso enim, quòd factè promittens temporale pro spirituali, Simoniam directè non committit, pœnarum illius coram Deo reus non est; præsertim cum odiosa & pœnalis sint strictè interpretationis, *arg. L. 42. ff. de Penis &c. In panis. c. Odis. de R. l. in 6. Et ideo hanc partem tenent etiam omnes num. præc. citati Doctores, ac ipse quoque secunda parti aliis contrariis Navarrus Man. cap. 23. num. 106.*

Quæritur IV. An Simoniam committat, qui Beneficium Ecclesiasticum alteri confert intuitu Consanguinitatis, affinitatis, vel amicitie? Resp. Negative. D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2. dum Navarrus Man. cap. 23. n. 107. Azorius p. 3. lib. 12. cap. 2. cum communi aliorum contra paucos. Ratio est; quia nullum pactum nec tacitum, nec expressum intervenit, nec datur aliquid temporale pro spirituali, præsertim, cum ipsa consanguinitas, affinitas, aut amicitia, intuitu cuius datur spirituale, jam præexistat. Et certè, si dare Beneficium Ecclesiasticum intuitu Consanguinitatis esset Simonia, foret etiam Simonia intuitu consanguinitatis fundere pro aliquo preces, quod nemo adhuc somniavit. Peccatur tamen alio genere peccati, si ex tali respectu vel motivo Beneficia, aut alia spiritualia conferantur indignis, aut minus dignis, dignioribus neglectis.

133 Nec obstat c. Nemo. 14. b. 7. quia licet ex hoc capite habeatur, peccati, si intuitu consanguinitatis, familiaritatis &c. spiritualia indignis conferantur, tamen ex illo non probatur, inde committi Simoniam, præsertim, quòd ultima verba, quibus dicitur, *utrumque esse Simoniacum*, non ad priora, ubi agitur de consanguinitate, sed ad alia referri possint ac debeant, ob rationem in Conclusionem allegatam.

§. VIII.

De quibusdam Simoniis in specie, illis videlicet, quæ committuntur in Electione, Postulatione, Collatione, Præsentatione, Commutatione, & Resignatione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

S U M M A R I U M.

- 134 Ratio ponendi hunc §.
- 135 Promittere, dare, vel præstare temporale pro voto ad Beneficium, Simonia est. Solutio objectionis. Ibid.
- 136 Tria in Beneficio Ecclesiastico sunt consideranda, inter quæ jus percipiendi redditus est quid spirituale annexum. Ibid.
- 137 Si datur pro voto etiam per tertium, ignorante Electo, Simoniaca, & nulla est Electio.
- 138 Multe Electiones præsertim Episcoporum &c. sunt nulle, & quare?
- 139 Pessimè sibi & aliis consulunt, qui pro aliquo Simoniacè procurant votum in Electione.
- 140 Sanctum Statutum, & juramentum præsertim Ecclesia Fisingensis ad evitandum omnem Simoniacam Electionem.
- 141 Quid possint agere Legati Principum, vel alii ad sollicitanda pro aliquo Vota deputati?
- 142 Rogare pro Beneficio, & istud ad preces conferre, non est Simonia.
- 143 Pro Voto promittere Officium aut Beneficium spirituale, Simonia est.
- 144 Litem in Electione Regularium facile committi potest Simonia.
- 145 Simonia est, dare temporale, ne eligatur dignus.
- 146 Dare temporale, ne eligatur indignus, Simonia caret.
- 147 Nisi detur, ut loco indigni aliquis certus eligatur.
- 148 Dare temporale, pro Confirmatione, aut ne impugnetur Electio, Simonia est.
- 149 Compendiosa relatio casuum, quibus committitur Simonia in Collatione, & Præsentatione Beneficiorum.
- 150 Et in Resignatione illorum, usque ad n. 155.
- 151 Simonia est, resignare Beneficium cum conditione, ut Resignatarius solvat expensas in obtinendo prius Beneficio factas.
- 152 Resignare Beneficium in favorem Tertii Simonia est, nisi accedat consensus Papæ.
- 153 An resignans possit saltem aliquem commendare, & rogare pro illo, ut Beneficium resignatum eidem conferatur? Et n. præc.
- 154 Beneficium in favorem Tertii resignatum, non potest Episcopus alteri conferre.
- 155 In quibus casibus committitur Simonia in Permutatione Beneficiorum?
- 156 Et constituenda Pensione annua? Remissive.
- 157 Enumerantur persone, quæ in Simoniaca Collatione, vel Procuracione Beneficiorum infici possunt Simonia, usque ad n. 162.

Vilius us, quæ de Simonia in genere scitu necessaria sunt, vel magis utilia, qualdam Simoniæ in specie, illas nempe, quæ frequentiores, & Ecclesiæ magis nocivæ sunt, in hoc, & sequenti §. examinabimus. Quamvis enim ex hæcenus de Simonia in genere dictis, Simonia in specie bene cognosci possint; nihilominus quia in nonnullis specialibus difficultatibus occurrunt, & specifica rerum tractatio rem pro praxi magis claram, captivèque magis facilem reddit, de nonnullis in specie agere, utile duximus; præsertim, cum non pauci sint, qui Doctores & doctrinas de Simonia agentes, intellectu difficiles & obscuras conqueuntur; qui tamen se ipsa nolunt intelligere, ut bene agant. Itaque

Quæritur I. Quando? Quomodo? & à quibus committatur Simonia in Electione, & Postulatione? Resp. I. Quicumque etiam ceteroquin dignissimus per se, vel per alium mittit, offert, vel dat, aut præstat temporale, sive sit *Munus à manu*, sive à lingua, sive ab obsequio, expresso vel tacito cum pacto, aut conditione, vel ex hoc motivo, ut ei in Electione, vel Postulatione detur Votum aliquod ad Beneficium, Prælaturam Ecclesiasticam; seu ut ad eam eligatur, aut postuletur, veram committit Simoniam. Communis inò post Decretum Innocentii XI. unanimes & certa, per Jura supra jam allegata. Ratio est; quia quovis Beneficium Ecclesiasticum est quid spirituale, consequenter offerre, dare, aut præstare pro illo temporale, Simoniacum est, etiam si temporale ex sola gratitudine taciè, vel expresse promittatur, modo aliquo ex allegatis supra n. 111. Et habetur clarus textus c. nobis h. t.

Dices temporale non dari, aut promitti ex eo quòd est in Beneficio spirituale, sed quòd est temporale, pro jure, videlicet percipiendi redditus temporales, quòd utique est quid temporale, sicut ipsi redditus sunt quid temporale. Antequam ad hæc Objectionem respondeatur, notandum, *Tria* in quovis Beneficio Ecclesiastico considerari posse. I. Est ipsum Officium & jus ac obligatio ad obtinendas aliquas functiones spirituales. Et hoc omnino quid spirituale esse, in confesso est. II. Est jus percipiendi redditus temporales ratione Beneficii, seu potius officii spiritualis, quòd in Beneficii præstatur; quòd jus licet in se sit quid temporale, tamen quia spirituali adheret, & annexum est, Officio nempe spirituali, à quo provenit, quid spirituale, seu potius spirituali annexum est. III. Sunt ipsi redditus, & fructus temporales, qui ex bonis Ecclesiæ seu Beneficii percipiuntur; & hi quid merè temporale sunt. Hoc notato respondeatur: Jus percipiendi redditus est quid temporale, quantum in se spectatur, conceditur; quantum consideratur, ut quid annexum, & adherens Officio, negatur.

Hinc unanimes & certa doctrina est, Beneficium etiam quà jus percipiendi redditus temporales pro temporali, aut hoc pro illo dari absque Simonia non posse *arg. can. 2. & segg. cau. 1. q. 3. fere per totum, & c. 7. de Transact. & c. querelam. 7. h. t.* Etiam si quis dicat, se officium & jus spirituale gratis dare, & solùm vendere, seu dare pro temporali, jus percipiendi redditus temporales, aut e contra; claris Juribus can. *Si quis objecerit. 7. cau. Salvator. 8. & can. fin. cau. 1. q. 3. juncto can. Presbyter. cau. 1. q. 1. Ratio assignatur cit. can. Si quis objecerit. cau. 1. q. 3. videlicet; quia, qui quis bonum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit.*

Resp. II. Simoniaca, indeque nulla est Electio, vel Postulatio, si promittendo, offerendo, dando,

